

370

368

374

364

379

359

419

319

469

269

Ende

Anfang

355

orientem, cumque per spatium aliquod descendissemus per vicum
in via illa, per quam Dominus Jesus crucem bajulans in mon-
tem ascendit Calvariae, venimus ad quandam antiquam portam,
ruptam in dextra parte, de qua non plus mansit, quam unum
latus a terra sursum usque ad curvitudinem, quae arcum sustentat,
reliquum totum dissipatum est. Sed et illa pars, quae mansit,
est iam intra domos constituta, quod non potuimus ad eam
venire, e regione autem stetimus et eam intuiti sumus. Fuit
autem porta alta, magna et firma, ut optime in ruinis cernere
potuimus, de lapidibus sectis et quadris aedificata. Haec
porta ante civitatis ampliationem per Aelium Hadrianum
factam dicebatur porta vetus, quia fuerat ibi a tempore
Jebusaeorum. Et post dicebatur porta judiciaria, quia in ea
more antiquorum judicia agitabantur, et quae judicata iam
erant et sententiata, extra eam mandabantur executioni. De
utroque nomine habetur Nehem. 3. scil. de porta veteri et ju-
diciaria, quae unum sunt. Extra hanc portam ductus est Do-
minus Jesus, crucem sibi bajulans crucifigendus. Unde de
hac porta dicitur Hebr. 13: Jesus, ut sanctificaret per suum
sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ergo
humanni peregrini ad eum extra portam, imperperam ejus por-
tantes. Quis quoquo portam hanc nisi cum compassiva devo-
tione potest intueri? Hic enim educitur Abel in agrum Afrem
ut perimatur. Hic transiit Jsaac cum lignis, ut in monte
immoletur. Hic videtur botrus in ligno portatus. Circa
hanc ergo portam orationes praescriptas in processionali dixi-
mus, et genibus flexis indulgentias suscepimus (†).

De tabernis in via ad montem Calvariae, in quibus
occidendi refocillabantur.

Progressi inde consequenter venimus ad loca, ubi tem-
pore eductionis Christi erant tabernae, et quando morte plec-
tendi educebantur, fuerunt aliqui pii homines, qui pro plec-
tendis vinum solvebant, et dabatur eis hic bibere vinum forte,
ut bibentes jocundi fierent, quia dicitur Esdrae VI., quod
vinum omnem mentem convertit in securitatem et jocundita-
tem, et non meminit omnem tristitia, et debitum, et omnia
praecordia facit honesta. Ab hinc etiam tulerunt in scyphis

23*

